

<https://www.thelatinlibrary.com/plautus/captivi.shtml>

### III.v

**COLAPHVS** Num lignatum mittimur?

**HEG.** Inicite huic manicas \*\*\* mastigiae.

**TYND.** Quid hoc est negoti? quid ego deliqui? **HEG.** Rogas, 660  
sator sartorque scelerum, et messor maxume?

**TYND.** Non occatorem dicere audebas prius?  
nam semper occant prius quam sariunt rustici.

**HEG.** At ut confidenter \*\*\* mihi contra astitit.

**TYND.** Decet innocentem servom atque innoxium 665  
confidentem esse, suom apud erum potissimum.

**HEG.** Adstringite isti sultis vehementer manus.

**TYND.** Tuos sum, tu has quidem vel praecidi iube.  
sed quid negoti est, quam ob rem suscenses mihi?

**HEG.** Quia me meamque rem, quod in te uno fuit, 670  
tuis scelestis falsidicis fallaciis

deartuasti dilaceravisti atque opes  
confecisti omnes, res ac rationes meas:  
ita mi exemisti Philocratem fallaciis.

illum esse servom credidi, te liberum; 675

ita vosmet aiebatis itaque nomina  
inter vos permutastis. **TYND.** Fateor, omnia

facta esse ita ut <tu> dicis, et fallaciis  
abiisse eum abs te mea opera atque astutia;